



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

**Parisiis, 1644**

De Vigili Decreto Pro Confirmatione V. Synodi, Dissertatio Petri De Marca  
ordinarii in regio consistorio consiliarii, & in supremo Nauarrae senatu  
praesidis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15324**

ANNO CHRISTI 553. ad Rusticum & Sebastianum ecclesie Romanæ diaconos, Valentinianum Tomitanæ ecclesie antistitem in Scythia, & Aurelianum Arclatensem episcopum scripsit; procuravit id imperator ea intentione, vt posset arguere Vigilium præuaricationis, quasi antea tria capitula condemnasset, quæ postea defendebat. His peractis, ex actis Antiochenis recitatum fuit, quod Nestoriani sibi Theodoretum tamquam suum vendicarent, eiusque imaginem currui impositam, cum triumpho & psalmodiarum canticis, in ciuitatem Cyri solenni ritu introduxerunt.

Octaua & vltima collatio celebrata legitur quarto Nonas Iunii, in qua recitata est sententia contra Theodorum Mopsuestenum, Ibae epistolam, & Theodoretum scripta aduersus Cyrillum. Ad finem sententiae appositum sunt anathematismi contra Nestorii & Eutychetis hæreses, & aduersus tria capitula. Post hæc omnia, subsequuta est centum sexaginta quinque episcoporum subscriptio.

<sup>n</sup> Anno post consulatum Basilii 12. ] Ita acta Concilii. In principio singularum collationum adiunxi annum Christi 553. qui in fastis emendatioribus cum prædicto anno 12. post consulatum Basilii coincidit.

Acta collationis VII.

Quo tempore hæc Synodus celebrata fuerit.

Post consulatum Basilii inscribitur hic annus: quia 47. nouella constitutione Iustiniani iam ante 15. vel 16. annos constitutum fuerat, vt per annos imperatoris tempora posteriora denotarentur. Iustinianus id fecisse putatur, vt immoderatas illas tolleret expensas, quas in consulatus ingressu ab ipsis consulibus fieri moris erat. Marcianus Augustus edicto prohibuerat, ne consules in populum pecunias spargerent, quæ tamquam missilia colligerentur. Cui edicto cum paulatim non modo non pareretur, sed potius insanus gloriæ appetitus altius sese extolleret, nouella constitutione 105. prohibuit Iustinianus, ne consules aurum effunderent, spargendi autem argentum liberam potestatem haberent. Sed cum neque his limitibus humana superbia coarctari vellet, dubium non est, quin hac occasione Iustinianus imperator amplissimam & antiquissimam consulatus dignitatem paulatim e senatu & temporum notis profecisset.

Cur Iustinianus nota consulari temporum signari prohibuerit.

DE VIGILII DECRETO  
 PRO CONFIRMATIONE V. SYNODI,  
 DISSERTATIO PETRI DE MARCA  
*ordinarii in regio consistorio consiliiarii, & in supremo  
 Nauaræ senatu præsidis.*

COMMODO accidit nuper, vt quo tempore acta quintæ Synodi œcumenicæ prælo regio excudebantur, obtulerit sese mihi fato quodam vetus collectio *ῥησέων* ex antiquis patribus & Conciliis petitarum, a veteri theologo aduersus Acephalos & Monothelitas hæreticos olim adornata. Volumen illud manuscri-



prum Græcum extat in bibliotheca regia, accurate descriptum a Leone Cinnomo, & ab eo repositum Constantinopoli in bibliotheca imperatoria, temporibus Michaelis Palæologi, anno mundi 6784. seu anno Christi 1276. Amanuensis vero testatur, a se transcriptum ex autographo, quod in veteri bibliotheca ecclesiæ Romanæ asseruabatur, calamo exaratum, anno mundi 6267. seu anno Christi 753. Quod ideo annotavi, ut de manuscripti codicis antiquitate & fide nullus esset dubitandi locus. Inter ceteros vero laudabiles locos, ex quibus collectio illa compacta est, opportune incidi in excerpta aliquot ex antiquis actis quintæ Synodi; scilicet in Eutychie epistolam ad Vigilium (cuius pars quædam Græce prolata est in Concilio Florentino) & rescriptum Vigilii ad Eutychie (quæ extant Latine tantum in collatione prima illius Synodi; ) & in quatuordecim anathematismos editos ab eadem Synodo, qui Latine tantum habentur in collatione VIII. Itaque ad commodum studiosorum antiquitatis ecclesiasticæ pertinere putavi, postquam iniuria temporum nobis actorum Græcorum invidit exemplar, ut saltem his fragmentis Græcis non carerent: præcipue cum ex anathematismorum collatione cum editione Latina non leue adiuventum sibi comparare possint ad veram Synodi sententiam indagandam, aduersus Nestorianorum & Eutychianorum versutias.

Extant supra pag.  
257.

Præterea vero exhibemus tibi, lector, epistolam Vigilii, quæ nondum in lucem prodit, quæque auro contra æstimari debet, qua Synodi quintæ gesta auctoritate sedis apostolicæ confirmantur. Eius precium illi soli norunt, quibus perspectum est, quantum plerique dignitati pontificiæ detrahant eo nomine, quod hæc quinta Synodus vim & pondus œcumenicæ obtinuerit, licet renitentem Vigilium fuerit experta, qui maluit exilium pati, quam suffragio suo illius definitionem approbare. Contendit quidem Illustrissimus annalium conditor ex Euagrio & ceteris Græcis auctoribus, confirmatam fuisse Synodum a Vigilio; sed eam comprobationem in id tempus dilatam, quo Vigilium ab exilio solutus est, rogante Narsete duce, post liberatam a Gothis Italiam. Sed opus illi est æquo lectore, qui se coniecturis in re tanti momenti duci patiat: cum e contra excipere soliti sint non solum nouatores, sed etiam plerique eruditissimi viri, errasse Græcos scriptores, qui de consensu Vigilii loquuntur; quia constat ex Anastasio, pulsum in exilium a Iustiniano cum aliquot episcopis, quod Synodo refragaretur: vnde reuocatus est precibus Romanorum & Narsetis ducis, teste eodem Anastasio, qui tamen confirmationis illius omnino non meminit. Non me latet viros eruditos ex eo vim Concilii generalis tribuere huic quintæ Synodo, quod a Pelagio primo, & Gregorio magno, aliisque pontificibus sub nomine quintæ Synodi post ceteras quatuor recensita fuerit. Quod tamen alii sic explicant, ut pontifices illos auctoritati tantæ Synodi cessisse potius dicant, quam Synodo auctoritatem addidisse.

II. Quæ a me dicta sunt eo animo, ut repertam in bibliotheca regia Vigilii epistolam commendem, quæ omnes illas difficultates superat,

ANNO  
CURAM  
157



ANNO  
CHRISTI  
533

rat; quæque iis verbis concepta est, quibus vti decebat sedis apostolicæ pontificem. Sane a Græcis ipsis tanti facta est ad robur quintæ Synodi asserendum, vt eam in acta eius Synodi retulerint, & definitioni synodicæ subiunxerint, vt ostenderetur inferius. Vnde patet summa fide scriptum ab Euagrio, Vigilium consensisse Synodo ἐξεδάφως: epistolam enim illam inter acta Synodi legerat. Hæc sunt Euagrii verba: Βηλίος μὲν οὖν ἐξεδάφως συνῆκεν, συνεδρῶν οὐχ ἐλάτο. *Vigilius autem per literas consensit Concilio, non tamen interesse voluit.* Ex iisdem actis sine dubio hauserunt Photius, Zonaras, Cedrenus, Euthymius, & Nicephorus, quod de Vigilii consensu tradunt. Cuius consensus meminit quoque sexta Synodus in profphonetico ad Constantinum Pogonatum imperatorem; vbi postquam retulit Eutychis damnationem a Leone I. decretam fuisse, & a Marciano principe cum Synodo Calchedonenſi susceptam, hæc verba subiunguntur: οὕτω νῦν μὲν τῶν Βηλίου Ἰουστινιανῶ τῶ πανδοσεβῆ συμπεφώνηκε, καὶ τῆς πέμπτῆς συνόδου συνῆκεν, τὰ φωραθέντα καὶ λαθόντα πῶν αἰαδιμαπτόν συντάγματα βδελυρίας πληρέστατα. Quæ sic reddit vetus interpres: *Sicut & Vigilium post hæc Iustiniano piissimo consonuit, & quintum Concilium constitutum est, vt eorum opuscula quæ latenter reperta sunt, repleta abominatione, anathematiζarentur.* Quæ verba dupliciter explicari possunt. Vel hoc sensu, vt dicatur Vigilium in eo consensisse cum Iustiniano, vt Conciliū indiceretur ad damnationem trium capitulorū; quamvis pontifex in contraria sententia perſtiterit. Vel illo, vt omnino cum Iustiniano consenserit tam in Concilii indicatione, quam in trium capitulorū damnatione. Quæ vltima explicatio necessaria est, ne si primæ hæreamus, alienum videantur a mente sua patres exemplum protulisse, & longe dispar ei quod superioribus verbis proposuerūt, de consensu Leonis, & Marciani, totiusque Synodi.

III. His addi potest eximium Pelagii II. testimonium ex epistola ad episcopos Iſtriæ, cuius adeo aperta sunt verba, vt mirari ſubeat, qua ratione viros alioqui perspicacissimos fugerit tam expressa de Vigilio sententia. Etenim prolixis verbis ibi refertur, sedem apostolicam *per Vigilium* initio quidem probasse tria capitula, & pro eorum defensione diu laborasse, longoque tempore ad iniurias vsque certasse (quod de solo Vigilio intelligi potest) deinde cessasse, quando *veritas se patefecit.* Quæ verba ad epistolam Vigilii respiciunt, qui re diligentius tractata *veritatem sibi affulsisse*, seque tria capitula damnasse scribit, vt mox dicetur vberius.

IV. Ceterum vt liquidius sententia huius epistolæ intelligatur, simulque famæ & dignitati Vigilii consulatur, non alienum erit pauca de ipsius instituto in hac trium capitulorum controuersia dicere. Tria illa capitula hæc erant. I. Ibæ episcopi Edesseni epistola ad Marim Persam. II. Theodori episcopi Mopsuesteni persona, & eius scripta. III. Theodoretæ disputationes aduersus duodecim capita Cyrilli Alexandrini. Ex his tribus capitulis Acephali, propago quædam Eutychianorū, occasionem arripiebant non admittendi Con-

Euagrius  
lib. 4. c. 34.

Sextæ Synodi act.  
xviii.

Pelagii ep.  
ad ep. Iſt.  
cap. 7.

Concil. Tom. 12.

G g g



cilii Calchedonensis, quasi Nestorium aliquo pacto foueret. Id ex eo colligebant, quod epistolam Ibae Synodus approbasset; quae tamen Cyrillum carpebat, in Theodori Mopsuesteni Nestorianae haerescos auctoris laudes efferebatur, & utebatur blasphemis Nestorii verbis, quem non seruato iudiciorum ordine damnatum quoque fuisse dicebat in Synodo Ephesina. Tum vero quod Theodoro in communionem suscepto, eius tamen scripta aduersus duodecim capita Cyrilli, quibus Nestorii haeresis proscribatur, Synodus Calchedonensis non damnasset. Ex iisdem quoque capitibus Nestoriani haeresim suam instaurare nitebantur, prolatis ex Theodoro Mopsuesteno testimoniis, & ex Theodoro aduersus Cyrillum dissertationibus. Cum autem in id vnum Iustinianus incumberet, vt Acephalos, qui graues in Aegypto & in oriente motus excitabant, legibus suis insectaretur, Theodorus Caesareae Cappadociae episcopus, Acephalorum fautor, & sectator Origenis a paucis annis proscripti, ad vltionem eorum quae contra Origenem gesta erant, & vt imminens Acephalis periculum auerteret, controuersiam de tribus capitulis excitauit, vt ecclesiae pacem perturbaret. Pro ea itaque qua valebat gratia apud principem pacis ecclesiasticae alioqui studiosum, per cuniculos rem aggressus est. Spem Iustiniano fecit ineundae cum Acephalis concordiae, si praeter Theodoretum scripta aduersus Cyrillum, epistola Ibae Edesseni recitata in Concilio Calchedonensi, tamquam impia reiiceretur, & Theodorus quoque illa epistola laudatus, tamquam Nestorii parens damnaretur; cuius famae Caesareae episcopus ex eo quoque infestus erat, quod Origenis deliramenta olim refutasset. V. Iustinianus vtilitate publica, vt sibi quidem videbatur, excitatus, libello satis copioso tria illa capitula proscripsit, & ab episcopis orientis damnari procurauit. Enimvero, quia trium capitulorum negotium nullius Synodi iudicio erat praedudicatum, imo vero Synodi Calchedonensis dignitatem aliquo pacto violare videbatur; orientis patriarchae qui Iustiniani decreto subscripserant, se vi adactos fuisse Stephano responsali Romanae sedis professi sunt. Menas vero Constantinopolitanus episcopus eam conditionem adiecit, si haec Romano episcopo non probarentur, suum sibi chirographum restitutum iri: quod sub iurisiurandi fide illi promissum est. Atque adeo Iustinianus sentiens nihil in hoc negotio, quod ecclesiarum statum respiciebat, tentari vtiliter posse sine sententia Romani pontificis, Vigilium Roma euocat. Pontificem abeuntem ecclesia Romana, prouinciae quoque Africanae, Sardiniae, Hellados, & Illyrici obrestatae sunt, teste Facundo, ne vllatenus nouitati acquiesceret.

Antequam vero quid egerit in hac causa explicem, obseruandum est cum Pelagio & B. Gregorio, in hac controuersia non disputatum fuisse de fide, sed de personis. Id testatur Pelagius I. in epistola ad Childebertum regem Francorum, qui tunc in oriente capitula quaedam *extra fidem* agitata fuisse scribit. B. quoque Gregorius Hiberniae episcopos monet, in ea Synodo *de quibusdam solummodo personis actitatum*; vel vt Pelagii II. verbis utar, *nihil aliud, nisi de personis actum.*

Facundus  
Hermianensis  
lib. 1.  
cap. 2.

Liberatus  
Breu. cap.  
vlt.

Facundus  
lib. 4. cap. 4.

Pelagius I.  
epistola ad  
Childebertum  
regem  
Fran. Gregorius  
2. c. 16.  
Pelag. II. in epist.  
ad episcopos  
Istr.  
cap. 3.



ANNO  
CHRISTE  
553.

Quin etiam Vigilus in epistola quam edimus, disertissime annotauit, in hac controuersia non disputatum fuisse de fide, sed de personis. Vnde patet liberam fuisse aliter atque aliter in hoc negotio censendi facultatem, sine vlla Christianæ religionis iniuria: ideoque Vigilium qui suam aliquoties mutauit sententiam, de sola leuitatis vel metus suspicione periclitari. A qua suspicione tamen abesse tantum debet, vt potius singularis prudentiæ laudem ex iis quæ in hac causa gessit, consequi posse videatur.

VI. Qui rerum ecclesiasticarum sunt periti, non ignorant, duobus modis olim versari solitos fuisse summos pontifices in quæstionibus propositis, quæ disciplinam respiciebant, vel summo iure, vel remisso. Huic temperamento & Canonum remissioni locus erat, quando ob bonum vnitatis, & pro resarcienda ecclesiæ pace, necessarium videbatur ea clementia vti. Eam clementiam Græci *οικονομίαν* vocant, Latini eorum exemplo dispensationem, vt alibi ostendi adductis veterum patrum & Conciliorum testimoniis. Vtroque agendi modo vsus est in hac controuersia Vigilus, nunc iuris & Canonum vigore, nunc eorum remissione, fidei & pacis ecclesiasticæ studiosissimum se præbens. Obseruatum quidem est ab eruditis, Vigilium quæ videbatur, inconstantiam, prudentiæ & maturo consilio esse tribuendam: sed non docuerunt eum agendi modum a canonica disciplina pependisse.

L. 3. de  
concordia  
sacerdotii  
& imperii  
cap. 13.

VII. Ac primo quidem nihil aliud ab eo expectandum erat statim post profectionem suam ex Vrbe, quam vt votis occidentalium fauendo, se vetustatis vindicem præstaret. Itaque literis ex itinere ad Menam datis, damnationem trium capitulorum reprehendit, & legatis ad Iustinianum missis petiuit, vt pateretur eam rescindi. Urbem deinde Constantinopolitanam ingressus octauo Calendas Februarii, anno 597. Menam & alios capitulorum damnatores, illos quoque qui damnatoribus communicabant, a communione suspendit: quam tamen illis post quinque menses restituit, Theodoræ Augustæ rogatu. Ratio potissima cur damnationi trium capitulorum refragaretur, hæc erat, quod existimaret nihil eorum quæ in Synodo Calchedonensi gesta erant, retractari posse, eo quod ea sit generalium Synodorum auctoritas, vt de iis quæ illarum iudicio semel ordinata & disposita sunt, iterum disceptari non debeat. Ea est enim retractationis significatio apud iurisperitos, quam Græce *ἀναψλάφθαι* vocant, siue *παλιδικίαν*. Itaque rei iudicata exceptione repellebat nouandi studium. Addebat quoque Leonis papæ auctoritatem, qui conceptis verbis gesta Synodi Calchedonensis confirmando vetuerat, ne res in Synodo definitæ vlllo colore quæsito retractarentur. Deinde vero cum legibus principum retractatio aduersus sententias præfectorum prætorio intra duos annos peragi deberet, hæc tamen trium capitulorum retractatio aduersus Synodum vniuersalem totius orbis consensu firmatam, post centum annos vrgeretur, vt conqueritur Facundus Hermianensis: illud supererat, vt doceretur, his capitulis iudicio Synodi Calchedonensis

Facund.  
lib. 4. cap. 3.

Theopha-  
nes in chro-  
nico.

Concil. Tom. 12.

Ggg ij



prouisum fuisse. Quod luculenter docet Vigilus in constituto, & vberius Facundus in libris ad Iustinianum: neque tamen inde sequi, aliquid fidei contrarium a Synodo admissum fuisse.

VIII. Ceterum etsi Vigilus nulla vi adigi posset ad subscriptionem, consensit tandem anno 548. vt in conuentu LXX episcoporum hæc causa Constantinopoli discuteretur: singulorumque suffragiis ad se scripto delatis, ipse *Iudicatum* dedit ad Menam, quo tria capitula damnabat. Hoc fecit *ἕνεκεν ὁμολογίας*, siue remissionem, & dispensationem canonicam, ad pacem cum orientalibus retinendam. Si quis id a me confictum putet, audiat Vigilium, qui pro se dicit in encyclica aduersus Theodorum Cæsareensem: Primum quidem in eo quod pro scandalo refrenando condescendentes quorundam animis, quos aliqua dispensatione credidimus temperandos; quia tu iam eos pluribus annis inquietissimus stimulator accenderas, quædam pro tempore medicinaliter existimauimus ordinanda, tali scilicet conditione, vt omni in posterum perturbatione sopita, nihil ultra nec verbo, nec literis quisquam facere ex eadem causa præsumeret. ] Eamdem causam dispensationis præterdit clerus Romanus in epistola ad legatos Gallicanos: postea tamen tractatu habito, prædictus sanctus papa Vigilus, sub aliqua dispensatione, ipsam causam ordinauerit, sollicitè monendo, ne per occasionem aliquam supradicta Synodus pateretur iniuriam. Sed obtinere non potuit Vigilus ab Afris, Illyricianis, & Dalmatis episcopis, vt iudicio suo cederent; quin potius ab eius se communione suspenderunt. Eius discessionis causas atrociori stylo persequitur Facundus in libello contra Mocianum scholasticum, & in epistola fidei catholicæ, vbi propterea Vigilus præuaricator dicitur. Egit itaque cum principe coram Mena patriarcha, pluribus episcopis & senatu, vt rescissis quæ in hac causa vtriusque gesta fuerant, indiceretur Synodus, in qua adessent Africanarum & Illyricianarum prouinciarum episcopi, quorum, vt ipse loquitur, fuerat scandalizata fraternitas, vt quæ omnium suffragiis probarentur, cum pace ecclesiæ locum haberent.

IX. Euocanti autem principi episcopos ex Africa & Illyrico, cum ægre ac ne vix quidem pareretur, actum est anno 551. cum Vigilio, vt si nollent occidentales episcopi, ipse solus cum Græcis tria capitula damnaret. Renuente pontifice, edictum Iustiniani de damnatione trium capitulorum, suasti Theodori Cæsareensis publice propositum est. Vigilus vero comminatus est Græcis episcopis communionis suæ suspensionem, si edicto consensum præberent: idemque professus est Dacius Mediolanensis episcopus. Quamobrem incenso ira Iustiniano, Vigilus in basilicam sancti Petri in Hormisda confugit; vnde per vim abducere conatus prætor, populi tumultu repellitur. Accepto tandem per imperatoris legatos sacramento, redit in domum Placidianam. Sed multis rursus iniuriis affectus, & insidiis appetitus, noctu iterum sub natale Christi Calchedonem abiit ad sanctam Euphemiam. Vnde missis a Iustiniano senatoribus, & seorsim semel atque iterum Petro referen-

Epistola  
Vigilii  
aduersus  
Theodor.

Epistola  
cleri  
Romani ad  
legatos  
Gall.

Synopsis  
chronica  
adiuncta  
notis ad  
Facundum  
a V. Cl. P.  
Sirmondo.



ANNO  
CHRISTI  
553

dario, euocari non potuit. Quin potius encyclicam de calamitatibus suis scribit, depositionisque sententiam in Theodorum Cæsareensem profert, & communionis suspensionem aduersus Menam patriarcham Constantinopolitanum, anno 552. Hanc Vigili constantiam is euentus secutus est, vt remotis edictis, discussionem trium capitulorum integram Synodo futuræ relinqui consenserit imperator, atque Menas & Theodorus, & alii episcopi veniam a Vigilio petierint, ob iniurias eius beatitudini vel sedi factas, vt testantur eorum libelli inserti constituto Vigili. Menæ mortuo successit Eutyechius, qui statim fidei libellum Vigilio obtulit, mense Ianuarii, anno 553. & petiuit vt communi tractatu controuersia motæ definirentur. Rescripsit Vigilius sibi placere, vt discordia sopiatur, *ἡνωθῆναι καὶ ἁποκατασταθῆναι τὴν ἐκκλησίαν, ἡνωθῆναι τὸν ἀδελφικὸν σύνδικον*, *habita Synodo canonica*, in qua tractatus & disceptatio fieri possit cum vnitis sibi fratribus. *ἀλλὰ τοῖς ἐνωθῆσιν ἡμῶν ἀδελφοῖς σύνδικον ποιησόμεθα*. Cupiebat Vigilius Synodum in Italia fieri, sed refragante principe de loco, tandem inter eos conuenit ante diem paschæ, vt exæquato Latinæ linguæ episcoporum numero iis pontificibus Græcis, qui tunc Constantinopoli præsentibus aderant, de tribus capitulis tractaretur, quemadmodum testatur Vigilius in constituto. Sed moræ impatiens princeps Synodum coegit aduersus pacta conuenta, literisque suis datis ad patriarchas Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & vicarios Hierosolymitani patriarchæ, & ceteros episcopos orientales qui erant in vrbe, ad controuersiam de tribus capitulis aggrediendam hortatur. In quibus literis *iudicati* olim a Vigilio editi mentionem iniecit, vt de pontificis sententia nullus videretur ambigendi locus; dissimulata tamen illius *iudicati* rescissione, & ceteris conditionibus cum Vigilio de pactis.

X. Conuenit ergo Synodus quarto Nonas Maii, & illustri legatione Eutyechii Constantinopolitani, & aliorum patriarcharum, atque sexdecim metropolitanorum, Vigiliū conuenit, ab eo postulans, vt causam trium capitulorum cum ceteris episcopis disceptare vellent, quemadmodum suis literis Eutychio pollicitus erat. Ille causatus valetudinem, in posterum diem responsum distulit: qua pollicitus est manifestare, quod ei de tali conuentu placuerit. Quibus verbis non significat, quod viris eruditus persuasum est, scilicet se scriptis Synodo satisfacturum; sed potius indicat se conuentum illum canonicæ Synodi loco non habere, qua de re perendie sit acturus. Hic locus est magni momenti ad ferendum de consilio Vigili certum iudicium. Vrserat præcipue Synodi indictionem ad sanandos occidentalium episcoporum animos, qui læsi fuerant illa dispensatione qua vsus erat ad conciliandos orientales. Ea conditio placuerat Iustiniano. itaque conuentus solorum orientalium censeretur non poterat a Vigilio legitimus & vniuersale Concilium. Quare secunda vice aditus a legatis Synodi, abscessit respondit, se cum illis conuenire non posse, vt patet ex relatione a legatis Synodo facta, quorum hæc sunt verba: Ille vero respondit, non posse vna nobiscum con-

Constitutū  
Vigili.

Collatio 1.  
quintæ Synodi.

Collatione  
Prima.

Collatione  
II. Synod. V.



uenire, eo quod plurimi hic quidem sunt orientales episcopi, pauci vero cum eo: facere autem per semetipsum in scriptis sententiam suam, & offerre piissimo domino. Contendebant econtra legati, conuentum non esse differendum propter absentiam occidentalium episcoporum; præcipue cum in aliis Synodis œcumenicis vix duo aut tres occidentis episcopi interfuissent, nunc vero adesset ipse Vigilus & aliquot Italiae, Illyrici & Africae sacerdotes. Urgebant præterea illius rescriptum, quo promiserat Eutychio se cum fratribus vnitis de hac re tractaturum; se autem cum illo communione iungi. Replicatio Vigilii non est actis inserta, quæ tamen colligi potest ex rei gestæ serie, quam numero superiori annotauimus. Et enim legati dissimulabant verba rescripti, quibus se acturum ea de re in Synodo canonica pollicebatur. Porro canonica Synodus esse non poterat, quæ iuxta morem in aliis Synodis œcumenicis obseruatum, non constabat ex legatis omnium prouinciarum ecclesiasticarum. Neque esse quod obicerent, paucos ceteris Conciliis interfuisse occidentales episcopos, cum ex actis synodicis constet illos gessisse vices Romani pontificis & totius Concilii diœceseon occidentalium. Qui mos tanto studiosius obseruari debebat in hac causa, quod de scandalo occidentalibus illato agendum erat; eaque esset Romanæ ecclesiæ consuetudo, vt vocatis iis quorum intererat, offensiones amoueret, quemadmodum docent Leonis I. epistolæ ad legatos in orientem missos. Et in hac causa sæpe Vigilus professus fuerat iis verbis quæ cleri Romani epistola continentur: *Sine consensu omnium, inquit Vigilus, ista quæ & Synodum Calchedonensem in dubium venire faciunt, & scandalum fratribus meis generant, solus facere nullatenus acquiescam. Quare interpellatus iterum a patriciis, quos imperator delegarat, & ab episcopis nomine Synodi, spondit, intra dierum aliquot spatium, quid sibi de controuersia videretur, ad imperatorem scripto transmissurum. Non est ergo quod viri eruditi eam causam prætendant absentia Vigilii, quod summi pontifices adesse non solerent in Conciliis generalibus: cum vera causa petenda sit ex eo, quod conuentum imperfectum noluerit præsentia sua œcumenicum reddere in offensionem occidentalium. Instituit itaque Synodus cognitionem suam de tribus capitulis, quæ tandem definitione sua damnauit.*

Leo I. epist.  
ad legatos.  
Epistola  
cleri Romani  
ad legatos  
Gallicanos.

XI. Interim vero Vigilus intra viginti dierum inducias, quas ob ægritudinem petierat, constitutum suum ad Iustinianum dedit, quo sententiam suam de tribus capitulis copiose explicauit. Theodori blasphemias configit, sed eius nomini parcit, ad exemplum Synodi Ephesinae: superfluum docet, & ad exprobrationem Theodoretii tendere, si eius scripta aduersus Cyrillum damnentur, cum Cyrillus ipse & Synodus Calchedonensis nihil aliud ab eo exegerint, quam vt Nestorio anathema diceret. De Ibae epistola nihil retractandum post Concilium Calchedonense. Deinde prohibuit ne quis ordinis & gradus ecclesiastici aliter de tribus capitulis doceret, quam ipse suo constituto exprimebat. Attamen animaduerti eum non adie-

ANNO  
CXXXIIII  
519



ANNO  
CHRISTI  
533.

cisse anathema in eos qui contrariam opinionem tuerentur. Quod ab eo summa prudentia factum est, vt ostenderet eam esse contro- versæ conditionem, quæ in vtramque partem inflecti posset, si paci ecclesiasticæ hac ratione confuleretur. Non potuit aliter responde- re interroganti Iustiniano, qui sententiam Vigilii requirebat, non autem agebat de dispensatione ad concordiam occidentalium & orientalium resarciendam; quæ aliter obtineri non poterat, quam tractatu inuito sine contumelia occidentalium.

XII. Hic vero dissimulare non possum, me longe abesse ab illustris- simi cardinalis Baronii sententia, qui putat constitutum Vigilii mis- sum a Iustiniano ad Synodum: idque colligit, ex eo quod ratio- nes in constituto prolatae pro Ibæ epistola, discutiuntur & refellun- tur in sexta collatione. Vt vero aliter sentiam, impellor potius amo- re veri, quam nouatorum procacitate, qui ex hac narratione non leue argumentum trahi posse putant aduersus pontificiam auctori- tatem, cuius scripta in Synodo non solum discuti, sed etiam refuta- ri hinc probant, & definitionem illius decretis promulgatis contra- riam cum anathemate proferrî. Enimuero si constitutum relectum fuisset in Synodo, illius recitatio relata fuisset in acta, quibus infer- tæ sunt minoris momenti relectiones. Argumenta autem illa pro I- bæ epistola, quæ discutiuntur collatione sexta, nota erant & trita, utpote quæ a sex vel septem annis summo studio contorquerentur ab aduersariis, etiam scriptis copiosissimis libris, quemadmodum fa- ctum est a Facundo Hermianensi: vt necesse non sit confugere ad constitutum Vigilii, quasi inde illa excerpti necessarium omnino foret. Deinde promulgatio constituti aliena fuisset ab instituto & prudentia imperatoris, qui damnationi trium capitulorum cum totus incumberet, non debuit suis votis officere, Vigilii auctoritate prolata, quæ desiderium illius improbaret. Imo vero vt facilius ob- tineret quem sibi proposuerat euentum, neu quis expectaret quid principi Vigilii respondisset, quemadmodum pollicitus erat se facturum, per Constantinum sacri palatii quæstorem Iustinianus Synodo suggessit, Vigilii mentem satis explicatam esse ex iis quæ sæpius hac de re docuerat cum scriptis, tum viua voce. Et vt sa- crum conuentum ad damnationem trium capitulorum animaret, literas ea de re a Vigilio perscriptas ad Aurelianum Arelatensem, & ad Valentinianum Scythiæ episcopum, & sententiam ab eodem pontifice latam aduersus Rusticum & Sebastianum diaconos suos trium capitulorum fautores, e Latina in Græcam linguam ver- sas, legendas exhiberi ab eodem quæstore curauit. Hæc sunt ver- ba Constantini: *Communiter vero conuenire inuitatus (i. Vigilii)*

Annal. ec-  
clesi. ad ann.  
533.

Collatione  
septima.

*& hoc facere vna cum sancta vestra Synodo, pollicitus est per semet- ipsum facere, & dare piissimo domino. Vt igitur etiam ea quæ sæpius ab ipso facta sunt ad condemnationem trium capitulorum, vos au- dientibus alacriores efficiamini de his formam celeriter proferre, direxit per me sanctitati vestrae condemnationem ab ipso Vigilio religiosissimo prolatam, &c. omnibus translatis ad Græcam linguam ad faciliorem*



*scientiam vestre sanctitatis.* Qui præiudicio Vigilii perlecto, patres alacriores effici ad condemnationem existimabat, non adeo supinus erat, ut eorum impetum contraria eiusdem pontificis definitione retardaret. Deinde vero locus agendi de constituto hic erat, cum pollicitationem Vigilii principi factam quæstor recenset. Sed adeo mentionem eius non iniecit, ut potius id omnino dissimulet, eiusque loco alia instrumenta substituatur. Ait vero vir illustrissimus, hac instrumentorum prolatione id tentasse Iustinianum, ut Vigilium præuaricationis argueret, qui constituto aliter quam antea decernebat. Sed principis in eo consilium aliunde melius deprehendi non potest, quam ex oratione quæstoris, qui ad excitandos & prouocandos patres auctoritatem Vigilii contra isthæc capitula scripto profert, non autem in pontificis contumeliam. Sane si quis ordinem, qui in Conciliis œcumenicis obtinebat, diligentius expendere velit, quam longissime recedet ab illa opinione, qua dignitas sedis apostolicæ violatur, mecumque facile consentiet adhibitum Vigilii nomen, ut gradus inde ad definitionem Synodi contra capitula strueretur. Prima enim semper fuit in Synodis œcumenicis sententia Romani pontificis, qua non expectata nihil decerni moris erat; quemadmodum seruari solebat in senatusconsultis ad orationem principum factis, ut dicam tomo II. de concordia sacerdotii & imperii. Impræsentiarum solo Vigilii testimonio utar, qui sibi ius illud in hac causa vindicabat. Promissa namque principi intra viginti dierum inducias sua de hoc negotio definitione, Pelagium diaconum ad episcopos misit, ut eos moneret, ne ante sententiæ suæ promulgationem quidquam ea de re decernerent: *Antiquum & regularem custodientes ordinem, inquit, ne ante nostram, hoc est, sedis apostolicæ, cui per Dei gratiam præsidemus, promulgationem sententiæ quidquam proferre tentarent, unde scandali rursus, quæ sopita fuerat, oriri possit occasio.* Itaque Iustinianus, ne prætermissa videretur in hoc negotio Vigilii auctoritas, constitutum quidem suppressit, sed alias Vigilii priores sententias, quæ annis superioribus ab eo latæ erant *οἰκονομικῶς*, Synodo exhibuit, ut in actis omnia rite & solenniter gesta fuisse viderentur. Quare Synodus quoque ipsa magnum decreti sui momentum in eo posuit, quod Vigilii tria capitula sæpius & scripto & sine scripto condemnasset; etsi conqueratur, quod conuentui, licet illustri legatione inuitatus, interesse noluerit, fatiusque duxerit polliceri, se suam ipsius sententiam ad principem missurum. Ceterum an promissis steterit pontifex, omnino Synodus reticuit, officio se suo satisfecisse rata, si sententiis a Vigilio latis, & in iudicio ex mandato principis exhibitis, inniteretur: præcipue cum de pontificis contrario voto solenniter & iuxta cognitionum ordinem non constaret.

XIII. Ceterum id valde angebat Vigilium, quod restitutionem pacis occidentalium, quam vnice expetebat, his Iustiniani artibus pessumdatam videret. Non solum enim numerus occidentalium episcoporum exæquatus non fuerat in Synodo, secundum pacta con-

Constitutum  
Vigilii.

Collatione  
octauæ, ini-  
tio defini-  
tionis.



ANNO CHRISTI 555

uenta, de quibus egimus supra; sed etiam Vigilii decretum a principe retentum, in Synodo promulgatum non fuerat; quod ad maioris scandali occasionem tendere, si tale quid accideret, Vigilii in constituto disertissime professus fuerat. Quare in ea rerum omnium perturbatione consensum suum præstare noluit episcoporum definitioni: ideoque a principe pulsus est in exilium vna cum aliquot episcopis & clericis Synodo refragantibus, teste Anastasio. Contumeliæ enim illius apud Euagrium & ceteros scriptores Græcos altum est silentium. Nisi fortasse suspicari libeat, aliquam huius dissidii cognitionem ad Michaellem Cerularium patriarcham Constantinopolitanum peruenisse, quæ supinæ cuiusdam hallucinationis occasionem illi præbuit. Is enim circiter annum 1051. vt a se per summum scelus repudiatae communionis Romanæ infamiam amoliretur, iam ab ipsis Vigilii temporibus, papæ nomen ex ecclesiasticis diptychis deletum fuisse scripsit, epistola data ad Petrum Antiochenum episcopum. Mos enim ille apud summas sedes inualuerat, vt papæ priore loco, deinde ceterorum patriarcharum nomina tabulis ecclesiasticis, quas diptycha vocabant, inscripta, in sacrificii ordine recitarentur, ad testandam vniuersalis ecclesiæ communionem: a qua si quis illorum excideret, nomen eius e diptychis expungebatur, vt, præter cetera, docent acerrimæ de nomine Ioannis Chrysostomi restituendo, & Acacii expungendo contentiones. Sed Michaelis errorem statim Petrus castigauit. Ægre namque ferebat, confortium cum ecclesia Romana dissolui; quod literis ordinationis suæ & fidei testibus ad Leonem IX. datis retinere conatus, desiderii sui compos euasit, vt patet ex Leonis responsione. Proferam autem ipsa Petri verba ex eius epistola ad Michaellem, quæ habetur in codice manuscripto bibliothecæ regiæ: quoniam non solum quid de Vigilii negotio Petrus sentiret, sed tempus etiam docent, ex quo Græci patriarchæ nomen Romani pontificis e diptychis eraserunt: de quo deinde restituendo, quam τὸ ὄνομα τῆς ἀναφορᾶς dicebant, ad restaurandam ecclesiæ unitatem tantopere laboratum est, vt testantur Georgius Pachymeres, & Nicephorus Gregoras, qua de re alibi. Περίεχεται τοῖς ἱεροῖς γραμμασι τῆς ἀνωσιως σου, φημι λέγειν τοῖς τοῖς ἐνηχρηθῆναι ὡς ἔστι τὸ πᾶπαν τοῖς ἱεροῖς ἀναφῆρα διπύχους, τῆτο αὐτὸ ποιουμένων καὶ τῶν ἄλλων πατριαρχῶν. καὶ ὡς ἐκ ἐδὲ τοσοῦτον ἀγνόημα ἀγνοῦσαι, καὶ μάλιστα περὶ τῶν ἄλλων ἐμὲ, εἰδότε, ὅτι δὸτὸ τῆς ἀγίας ἐκκλησίας οἰκουμένης σωδόν, ἐπὶ τὰδε τῆς ἐν τοῖς ἱεροῖς διπύχους ἀναφορᾶς Ἰζεκόπι ὄνομα τῆς πάπα, διὰ τὸ πτωικαῦτα Βιγίλιου μὴ ἀπαντῆσαι καὶ τὴν σωδόν, μήτε μὲν ἀναδεμαῖσαι ἢ παρὰ τῆς Θεοδωλετου καὶ τῆς ὀρθῆς πίστεως καὶ τῶν δώδεκα κεφαλαίων τῆς ἀγίου Κυρῆλλου γραφέντα: καὶ ἐκ τότε καὶ μέχρι τῆς νυν, δόττηνηθῆναι τῆς καθ' ἡμᾶς ἀγιοτάτης ἐκκλησίας τῆς πάπα. Μοχ: τὸ καὶ Βιγίλιου, πῶσω οὐ περὶ σπιμδρτυρεῖ ἀπερὸ σελίαν τῶν δισεβῆ χαρτοφύλακί σου. εἰ γὰρ καὶ περὶ τῆς ῥηθελικῆς μάθημα Ἐφιστικός ὁ ἀνὴρ, ὡς ἀκούουδην, ἄλλα

Anastasius in Vigilio.

Petrus Antiochenus in epist. ad Michael.

Concil. Tom. 12.

Hhh



νέος ὢν, οὐπω πείραν ἔχον ἱκανῶς τῆς ἐκκλησιαστικῶν. Ο Βιγίλιος γὰρ \* ὡς  
 πέμπτῃς λέω, οὐ μὲν δὲ ἐπὶ τῆς ἑκτῆς συνόδου. διὰ τῆμα δὲ μεταξὺ τῶν δύο  
 συνόδων ρηθ'. 851. ANNO  
CXXXII  
517  
\* 8. 111  
 Ἐδὲ συνέληπτος πρὸς μικρὸν τῆς αἰαφορας δόδομηθῆναι,  
 διὰ τὸ διενεχθῆναι αὐτῶν πρὸς τὸ ἀγιώτατον πατριάρχην Μιχαὴλ, κα-  
 θαρέσει τὸν ἰσοβαλεῖν, ἕως οὐ καὶ πρὸς ἀλλήλους ἐξελθῆναι εἰρωδύσαν-  
 τες κατηλλάγησαν. Ἐπὶ δὲ τῆς ἑκτῆς αἰας συνόδου ὁ ἱερός λέω πάπας Αγα-  
 θων, ἀμύρημι καὶ τὰ θεῖα ἑφός, καὶ ἀνάγνωσι τὰ ὡς τῆς ἑκτῆς συνόδου,  
 ἥτις εἰώθει κωλεακῆ μὲν πῶ ὑψωσιν τῶν ἑμίου σωροδ αἰαζινώσκεσθαι. ἐ-  
 ρήσις γὰρ τῶν εἰρημῶν Αγαθωνά ἀκλεῶς ἰσὸς τῆς αἰας τῆς συνόδου  
 ἀνακηρυχθῆναι. Ἐπὶ δὲ τούτοις, καὶ γὰρ μὲν ἀπαράραπθῆ, καὶ ἄλλοι  
 σὺ ἑμὶ τῆς ἐκκλησίας ἐλλογιμῶν πολλοί, ὅτι ἐπὶ τῆ μακαριώτατου  
 πατριάρχου Αντιοχείας κωλεῖ Ἰωάννου, ὁ πάπας τῆς Ρώμης Ἰωάννης καὶ  
 αὐτὸς ἀκούων ἐν τοῖς ἱεροῖς διπύχοις ἀνεφέρετο. καὶ ἐν Κωνσταντινουπόλει ἡ  
 πρὸς ἑξόνων πεσαρῶντα καὶ πέντε, ἕρπῃ ἐπὶ τῆ μακαριώτατου πατρι-  
 ἀρχου κωλεῖ Σεργίου τῶν δηλωθέντα πάπας ἐν τῆ θεῖα μυστηριώ μὲν τῆ  
 ἄλλων πατριάρχων αἰαφερόμεν. ὅπως ἡ ὑπερῶ ἢ αὐτῶ ἀνεκὸπῃ αἰα-  
 φορα, καὶ \* λέω αἰααν, ἀγνοῶ. *Sacris sanctitatis tuae literis continetur, fama*  
*ad te perlatum, me in sacra diptycha papam retulisse, idemque pra-*  
*stitisse ceteros patriarchas. Quae culpa a me, praeter ceteros, abesse de-*  
*buerat: quippe qui nouerim, quod a temporibus sextae Synodi usque ad*  
*hanc atatem, papa nomen e diptychis excisum fuerit; quoniam Vi-*  
*gilius Synodo interesse noluit, neque damnare quae aduersus rectam fidem*  
*et duodecim capita Cyrilli scripserat Theodoretus. Atque ex illo ad hoc*  
*usque tempore, praesum esse papam a vestra sanctissima ecclesia. Mox:*  
*Quae ad Vigilium spectant, quantam praese ferunt religiosi coartophy-*  
*laxis tui ositantiam! Licet enim in rhetorica arte, ut ferunt, sit*  
*appime versatus, attamen in hac eius adolescentia nondum satis cal-*  
*let res ecclesiasticas. Vigilii tempus refertur ad quintam, non autem*  
*ad sextam Synodum. Interuallum autem duarum Synodorum est cen-*  
*tum et viginti nouem annorum. Accidit autem, ut ad paucillum*  
*temporis ab eius recitatione abstineretur, ob disidium eius cum Me-*  
*na sanctissimo patriarcha, quem ille suspensione mulctauerat, donec sa-*  
*cerdotes adinuicem in pacem redierunt. Papa autem erat sexta Synodi*  
*temporibus Agatho vir clarissimus et in rebus diuinis exercitatus. Le-*  
*ge vero quae sextam Synodum spectant, quae quidem solet reperi die*  
*dominica post festum exaltationis venerabilis crucis. Etenim inuenies*  
*praedictum Agathonem a sancta illa Synodo summis laudibus efferi.*  
*Præterea vero, ego sum testis omni exceptione maior, plurimi quoque*  
*mecum e gremio ecclesiae praestantes viri, quod sub beatissimo domino*  
*Ioanne Antiocheno patriarcha, Ioannes eiusdem nominis papa Roma-*  
*nus in sacris diptychis recitabatur. Quinetiam ante annos quadraginta*  
*quinque, cum ad urbem Constantinopolim accessissem sub beatissimo pa-*  
*patriarcha domino Sergio, inueni praedictum papam una cum aliis pa-*  
*patriarchis inter diuina mysteria recitatum. Quomodo vero deinceps eius*



ANNO  
CHRISTI  
553.

*recitatio precisa fuerit, quamve ob causam, penitus ignoro.* Vnde patet Sergium patriarcham, qui sedem Constantinopolitanam tenuit ab anno 997. vsque ad annum 1017. communionem iunctum fuisse cum Ioanne XIX. seu maius XVII. qui sedit ab anno 1003. ad annum 1009. quemadmodum ex hac Petri epistola obseruauit quoque illustrissimus annalium conditor. Sed aliquot exinde annis effluxis, iterum discessere Græci ab ea vnitatem, quam Ioannis illius sedulitas restaurauerat. Dissidii huius ultimi causam ignorare se, id est, iustam sibi non videri, profitetur Petrus Antiochenus. Alioquin difficile non erat eam indicare, si quis repulsam expenderet, quam passi sunt legati ab Eustathio Constantinopolitano ad Ioannem XVIII. missi, anno 1026. vt pontificis consensum ad vniuersalis patriarchæ nomen episcopo Constantinopolitano concedendum amplissimis muneribus exambirent. *Quatenus eius consensu liceret ecclesiam Constantinopolitanam in suo orbe, sicut Roma in vniuerso, vniuersalem dici & haberi, vt loquitur Rodolphus Glaber.* XIV. Ceterum vt ad res Vigilii redeam, obseruandum est, Synodi quintæ definitionem editam fuisse anno 553. quarto Nonas Iunias, anno 27. imperii Iustiniani, post consulatum Basilii, anno 12. vt patet ex collatione octaua. Ante vero sextum Idus Decembris eiusdem anni, id est, post sex menses a solutione Synodi, Vigilii decretalem epistolam dedit ad Eutychium, qua tria capitula condemnat: ita vt hinc perspicere liceat, breuem eius fuisse in exilio moram. Est autem operæ precium expendere, quænam ille verba in re adeo implicata adhibeat, quibus dignitatem suam tueri possit aduersus Synodum Constantinopolitanam, sine vlla principis & episcoporum offensa. Plane si verum amamus, omnino fateri necesse est, altas in mentibus hominum tunc temporis egressæ radices traditam a maioribus sententiam de summa sedis apostolicæ auctoritate. Cum enim de ceteris Synodis œcumenicis ea reuerentia loqui soliti essent summi pontifices, ipseque adeo Vigilii in hoc decreto, scilicet vt se eas suscipere, amplecti, & deuota mente venerari profiterentur; vtpote quæ sedis apostolicæ suffragio, & vniuersalis ecclesiæ consensione firmata essent: hanc quintam Synodum Vigilii ne quidem Synodi nomine cohonestat: nempe illa ratione motus, quod eius celebrationi, iis conditionibus quibus facta est, consensum non præbuisset, vt annotauimus numero X. Deinde vero, quod etsi vitium illius ex post facto dissimulasset, a constituti sui promulgatione cessatum fuerat, vt monui. Quod vero ad rem ipsam attinet, ipse sua auctoritate, suoque decreto tria capitula damnat: quosumque vero, qui iam illa condemnauerunt (his verbis Synodum Constantinopolitanam significat) fidem a quatuor Synodis prædicatam amplectentes, *cos fratres & sacerdotes esse definit*, id est, eos communioni suæ adiungit, eorumque sententiæ robur illud impertitur, quod ex consensione cum ipsius decreto trahere debent. Eandem sententiam superioribus epistolæ verbis sic expresserat: *Quæ a nobis definiti*

Concil. Tom. 12.

H h ij

Baron. in  
annal. ad  
ann. 1009.

Glaber l. 4.  
c. 1.

et cetera  
et cetera  
et cetera

et cetera  
et cetera  
et cetera



debet, reuelante Domino, & inuestigata veritate, salubriter impleta sunt. quasi diceret, hanc quæstionem licet ab episcopis discussam in Synodo, & eorum suffragiis decisam, sedis apostolicæ decreto esse peremptorie definiendam. Vnde hoc suum decretum διατύπων appellat, ad principum exemplum.

XV. Itaque Græci, ne dubitari posset in posterum de quintæ Synodi auctoritate, decretum istud Vigilii in acta retulerunt continenter post definitionem Synodi: quemadmodum colligere licet, ex eo quod exscriptor antiquus eius exempli quod proferimus, hac epistola finem actis Synodi impositum testatur. Verbum enim solenne librariis antiquis, quo finem operis designabant, nempe τέλος, vel explicit, quo vititur aliquando Hieronymus, amanuensis noster ex actis in suum excerptum sincere transcripsit. Finis, inquit, octavi libri Synodi Constantinopoli congregata. Deinde vero lemma, seu titulus huius epistolæ satis docet, præscripta esse in eodem codice acta Synodi: *Vigilii epistola ad Eutychium, & πρὸς πᾶσιν τῶν θεωρηθέντων ἀγίων συνόδων; Et ad præiacentem sanctam Synodum.* Quare Photius patriarcha Constantinopolitanus, licet infensissimus ecclesiæ Romanæ hostis, ab iis verbis temperare non potuit, quæ Vigilii auctoritatem in confirmanda hac Synodo significant, satisque docent, post habitam Synodum, pontificis decretum accessisse.

Photius in  
libello de  
Synodis.

Hæc sunt eius verba; *περὶ μὲν τῆ πόλει, οὐ περὶ δὲ τῆ συνόδου ὡς εἰς ἐμὴν ἀφ᾽ ἑσθῆτος εἰς τὴν συνδρομὴν τῆς ἱεραῆς ὁμιλήσεως κατέστη, ἀλλ᾽ ὁμοίως τῶν κωνιῶν τῶν πατέρων πρὸς ἐπεκράτου λιβέλλου.* Aderat præsens in urbe, sed non intererat Synodo: etsi vero non adeo prono animo esset erga sacri Concilii cætum, nihilo minus tamen communem patrum fidem libello confirmavit. Eadem sententia refertur in vetustissimo codice manuscripto Arabico, in quo Canonum collectio ad usum ecclesiæ Alexandrinæ continetur: quem penes se habet vir clarissimus Gilbertus Gaulminus libellorum supplicum magister, Arabicæ & ceterarum orientalium linguarum peritissimus. Collectionis hæc sunt verba: *Excommunicavit Synodus & viuos & mortuos, quod antea non præstitum nisi in illos solos, factumque hoc patriarcha Romano sciente, qui & confirmavit, & scripto ad imperatorem dato fidem suam professus est.* Eiusdem viri diligentia hoc quoque testimonium debemus, quod ex codice manuscripto Arabico historiæ ecclesiasticæ Ibn Patric excerptis & interpretatus est, ut & superiorem locum. Romanus patriarcha præsens Synodo nec adiuit, nec legatum misit, sed consensum præbuit, dictaque patrum suscepit. Auctor iste Patric scriptus laudatur a Georgio Elmacin scriptore historiæ Saracenicæ, edito superioribus annis ab Erpennio.

Collectio  
Canonum  
manuscrip.  
Arab.

XVI. Per istud Vigilii decretum quinta Synodus velut vniuersalis admissa est, non solum in oriente, sed etiam in occidente. Vnde Pelagius I. Vigilii successor, vniuersalis Concilii nomen illi arrogat in epistola ad Narsem patricium & ducem Italiae, agens de Liguribus, Veneticis & Isticis episcopis, qui a sedis apostolicæ



ANNO  
 CHRISTI  
 553.

communione discesserant ob illam Synodum. *Si quid eos, inquit, de iudicio vniuersalis Concilii, quod Constantinopoli per primam nuper elapsam indictionem actum est, forte mouebat, ad sedem apostolicam, quomodo semper factum est, electis aliquibus de suis, qui dare & accipere rationem possent, dirigere debuerunt.* Eam Synodum susceperunt quoque Pelagius II. & Gregorius M. Hic vero se illam quinti Concilii nomine pariter cum ceteris quatuor venerari profiteretur in epistola ad Ioannem C. P. vt taceam de ceteris summis pontificibus, & de sextæ Synodi patribus, qui eam Synodum æquali cum ceteris cultu & reuerentia exceperunt. Neque est quod aliquis sibi persuadeat viris doctis eius sæculi exosam fuisse, quod eius mentionem nullam fecerit Cassiodorus in diuinis institutionibus. Nos enim aliam huius silentii rationem mox inuestigabimus, quæ ab aliis ex parte indicata est.

Pelag. i. ep.  
 ad Naricem.

Gregorius  
 lib. i. epist.  
 24.

XVII. Enimuero ne quis ambitiosum hoc Vigilii decretum existimaret, ipse rationes quæ se ad hanc sententiam impulerint, has assignat. Nempe quod offensiones & scandala quæ generis humani hostis per disputationem de tribus capitulis inuexerat, iam sedata essent, paxque reddita esset ecclesiæ post illorum damnationem, & veritas affulsisset in his ambiguis controuersis. Vnde colligere licet Illyricianarum & Africanarum prouinciarum episcopos prioris sententiæ poenituisse, & communicatis cum Vigilio consiliis, orientaliū communionem amplexos: vnde factum, vt deinceps inter schismaticos non recenseantur. In reliquo occidente Franci & Hispani communionem apostolicæ sedis retinuerunt; quemadmodum etiam Italiæ episcopi, postquam Thusci a Pelagio I. moniti statim in officium redierunt. Soli Istriæ, Venetiæ & Liguriæ episcopi, qui sub dominio Longobardorum degebant, pertinaci animo schisma fouerunt vsque ad Gregorii M. tempora, qui virus illud etiam apud Hibernos sanauit. Mentio pacis & scandalorum sedatorum iniecta viam aperit dispensationi, quam hoc vltimo decreto renouat. Non enim abstinere possum, quin dispensationi hanc vltimam quoque definitionem Vigilii tribuam, cum videam Leontium scholasticum qui hac ætate floruit, ea sola ratione quintæ Synodi decretum fulcire, nempe quod latum sit κατ' οἰκονομίαν, vt ille ait, existimante Iustiniano his capitulis damnatis, Acephalos, seu Hæsitantes vnitatem ecclesiæ & Synodum Calchedonensem amplexuros. Verba Leontii hæc sunt actione VI. de defectis: ὅτι κατ' οἰκονομίαν ὑπὸ τῆς ἐπιπέσεως Ἰουστινιανῶς. Ἰππὶ ἡρώεα τῶν Διακριτικῶν δια τῆς δοποσεφορικῆς τῶν σὺνόδων, ἐνόμισεν ὅτι ἐὰν ἀναθεματῆσθαι αὐτῶν, ποιεῖ δεξιῶν τῶν σὺνόδων. ἠήσοιτο οὖν δύο ἕνας ἀναθεματῆσαι, εἴηαι μὴ ἐξ αὐτῶν ἀναθεματῆσθαι, ἵνα πάντων τῶν ἡρώων ποιῆσθαι. καὶ διὰ τῆς ἀνεματῆσθαι αὐτοῖς. καὶ ὁμοίως οὕτως ἐδέξαντο. Διακριτικῶν τῶν σὺνόδων. *Secundum dispensationem quamdam hoc fecit Iustinianus (interpres male vertit, certo consilio.) Cum enim videret Hæsitantes propter hoc auersari Synodum, (Calchedonensem) existimauit, quod*

H h h iij



*si anathematizaret illos, (Theodorum & Ibam) Synodus reciperetur. Ideoque duos anathematizandos duxit, (quamquam eos minime anathematizatos oportuit) ut omnes ad unitatem redigeret. Hanc igitur ob causam illos anathemati subiecit. Verum ne sic quidem Hesitantes Synodum receperunt.*

XVIII. Ceterum Vigilus aliam quoque rationem huius ultimi decreti assignat, nempe veritatis agnitionem, quæ sibi anxie & solícite perscrutanti veterum patrum scripta, tandem affulserit. Pertinere autem ait ad officium probi & prudentis viri, a priore sententia discedere, postquam rei disceptatæ æquitas comperta fuerit: quod præcipue locum habere docet in controuersis ecclesiasticis, idque probat illustri beati Augustini exemplo, qui retractatis lucubrationibus suis, aliqua adiecit, aliqua vero emendauit. Iisdem vestigiis hæret Pelagius II. ut decretum Vigilii tueatur, in epistola illa proluxa ad episcopos Istriae data, quæ a Gregorio M. chartis ecclesiasticis tunc operam dante sub Pelagio scripta est, teste Paulo diacono. Obiiciebant Istriae episcopi ad excusationem sui schismatis, in causæ principio sedem apostolicam per Vigilium papam damnationi trium capitulorum restitisse. Respondet Pelagius, Latinos homines & Græcitatibus ignaros errorem tarde cognouisse; & subiungit: *Tanto eis celerius credi debuit, quanto eorum constantia, quousque verum cognoscerent, a certamine non quieuit: quorum consensum certe fraternitas vestra despiceret, si ausu præcipiti priusquam verum cognoscerent, consensissent. At postquam diu ab eis laboratum est, & longo tempore ad iniurias usque certatum, hinc vestra fraternitas penset, quia tot labores repente non relinquerent, nisi quæ vera sunt agnouissent.* Probat autem duobus exemplis eum esse diuini consilii ordinem, ut sæpe veritatem commendet eorum opera, qui diu contra ipsam luctati sunt. Paulum contumacem aduersus euangelium sic suæ fidei prædicatorem fecit, ut cunctis quibus per illum fuerat prædicaturus, ostenderet, quia valde verum est Dei euangelium, quod & tanta duritia inclinata prædicaret. Addit alterum Petri exemplum, qui reprehensus a Paulo, quod gentes recens ad fidem conuersas, ad Iudaismi ceremonias impelleret, consilium mutauit. Vnde concludit: *Si igitur in trium capitulorum negotio aliud cum veritas quaeretur, aliud inuenta veritate dictum est; cur mutatio sententiæ huic sedi in crimine obiicitur, quæ a cuncta ecclesia in eius auctore veneratur? Non enim mutatio sententiæ, sed inconstantia sensus in culpa est. Quando ergo ad cognitionem recti intentio incommutabilis permanet, quid obstat, si ignorantiam suam deserens, verba permutet?*

Paulus  
diaconus  
lib. 3. de  
gestis Lon-  
gobard.  
cap. 20.

Pelag. II.  
epist. ad  
episc. Istriae  
cap. 7.

Cap. 8.  
eiusdem  
ep.

XIX. Quærendum superest, cuius rei veritatem assecutus sit Vigilus, quæ illum antea lateret. Id autem colligi potest ex illa epistola Pelagii II. collata cum verbis constituti Vigiliani. Quippe prima regula quæ in constituto figitur, hæc est: Nihil ex iis quæ quoquo modo disposita sunt in Concilio Calchedonensi, posse in quæstionem deduci, seu retractari. cuius regulæ probatio petitur ex epistolis Leonis papæ ad Leonem imperatorem, & ex epi-

ANNO  
CHRISTO  
113



ANNO  
CHRISTI  
533.

stolis Simplicii ad Zenonem. E contrario Pelagius docet solam fidei causam, quæ definita est in Concilio Calchedonenfi, irretractabilem esse: cetera vero omnia, quæ discussa sunt in illa Synodo, ad priuata negotia pertinere. Leonis testimonia interpretatur, & ex eo probat licentiam tribui, *vt quidquid illic, extra fidei causas, de personis gestum est, retractetur.* Vnde recte concludit, de Ibae epistola, etsi probata fuisset in Synodo Calchedonenfi, iterum disceptari posse. Secunda regula iuxta constitutum hæc est, eos qui in communione & pace ecclesiæ mortui sunt, post obitum non posse subiici anathemati. Quam regulam confirmat Vigilus allatis Leonis & Gelasii testimoniis. Vnde sequebatur Theodorum post mortem damnari non posse. Pelagius vero docet ex Augustino, post mortem quoque eos recte damnari, qui hæresim professi sunt, *cum culpa in fide perpetrata nec morte interueniente laxetur.* Nempe ad exemplum perduellionis reorum, quorum memoria post mortem damnatur, & bona addicuntur fisco, licet cetera omnia crimina mortalitate extinguantur, vt loquitur Papinianus. Quod attinet ad Theodori dogmata, ea quidem in constituto, anathemate damnantur vt impia & blasphemata: ita tamen vt ibi significetur, non omnino liquere, an reuera Theodorus illa scripserit. At vero in ultimo suo decreto Vigilus docet, sibi tandem manifestissime patuisse, *ὅτι κατὰ τὸν Θεὸν ἀληθὴς ἡ ἀληθὴς ἀλήθεια, liquida veritate,* Theodorum blasphemias quamplurimis libros suos foedauisse.

Caput 17.  
18.

Caput 19.

Caput 9.

XX. Ex epistolis Vigilii & Pelagii colligere licet vnam & alteram regulam apprime vtilem, & omnibus disceptationibus ecclesiasticis valde accommodatam. Earum prima est. Fidei canonem mutari non posse, & quæstiones dogmatum vniuersalis Synodi iudicio semel scriptas, iterum excitari non debere. *Regula quidem fidei,* inquit Tertullianus, *vna omnino est, sola immobilis & irreformabilis.* II. In aliis causis extra fidem, id est in capitibus disciplinæ, quæ versantur non solum in facto, sed etiam in iure, veritatem nunc latere, nunc aperiri: quæ cum sese prodiderit, priores constitutiones immutandas, siue a Conciliis generalibus, siue a summis pontificibus profectæ sint. Quod non solum Vigilus profitetur in epistola nostra, sed etiam Pelagius II. *Specialis,* inquit, *synodalium Conciliorum causa est fides. Quidquid ergo præter fidem agitur, Leone docente ostenditur, quia nihil obstat, si ad iudicium reuocetur.* Tertullianus quoque in eandem sententiam ait: *Hæc lege fidei manente, cetera iam disciplina & conuersationis admittunt nouitatem correctionis, operante scilicet & proficiente vsque in finem gratia Dei.* Ne quis vero excipiat a Tertulliano hæc annotata in odium Psychicorum, quos ipse vocat, ad asserendam nouam Paracleti sui disciplinam, confirmanda est regula a nobis posita luculento B. Augustini testimonio. *Ipsa plenaria (Concilia) inquit, sæpe priora a posterioribus emendantur, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat, sine villo typho sacrilegæ superbie, sine vlla inflata ceruice arrogantia, sine vlla contentione liuidæ inuidiæ, cum sancta humilitate, cum pace catholica, cum caritate Christiana.* Iudicia vero data in priuatis negotiis a sede apostolica, quin retractari possint, &

Tertullianus de virginibus veland. cap. 1.

Pelagii II. in epist. ad episc. Iherosol. cap. 19.

Tertullianus d. lib.

Augustin. lib. 1. de bapt. cap. 39.



si opus sit emendari ab eadem sede in Concilio siue generali, siue speciali, dubitari non potest, vt alibi copiose ostendi.

XXI. Hic quæri non ineleganter potest, cur hæc epistola deficiat in actis Latinis. Cuius rei hanc esse puto causam, quod acta Græca, statim post damnata capitula, versâ sunt in Latinam linguam, & Vigilio tradita, vt deliberare posset de illorum approbatione vel reiectione. Nemini vero deinde curæ fuit, actis Latinis epistolam Vigiliadiicere, cum satis videretur, ad exemplum ceterarum epistolarum pontificiarum, hanc regeſtis Vigiliî contineri: quorum tamen cum sit facta iactura, istam quoque epistolam intercidere necesse fuit. Dubitari vero non debet, quin statim interpretationem Latinam aggressus fuerit aliquis vtriusque linguæ peritus, ad vsum Vigiliî & occidentalis ecclesiæ; cum id in more positum fuisse doceant veteres interpretationes anathematismorum Ephesinæ Synodi, & integræ Calchedonenſis, atque sextæ Synodi. In hac vero causa omnino maturanda erat Latina interpretatio, vt possent acta Vigilio exhiberi, apud se deinde consulturo, vt dixi, de trium capitulorum damnatione. Quare statim atque collatio octaua finem accepit, vbi trium capitulorum damnatio continetur, sine dubio acta Synodi Latine versâ Vigilio tradita fuerunt. Sane interpretationem Latinam antiquam esse discimus, non solum ex actis Concilii sexti, vbi refertur, Latinum exemplar quintæ Synodi seruatum fuisse in patriarchio Constantinopolitano; sed etiam ex Gregorio magno, qui exemplaria huius Synodi Latina ad Theodelindam Longobardorum reginam misit.

Sexta Syn.  
act. xiv.  
Gregorii I.  
3. ep. 4.

XXII. Ex eo autem quod antiqua conuicimus esse acta Latina quæ hodie extant, sincera quoque illa præstare debemus, omnemque ab eis imposturæ & mutilationis suspicionem amoliri, quam tamen viri eruditi probabiliter induerunt. Imposturam sapere illis videtur epistola ad Ioannem Antiochenum sub Theodoretî nomine prolata in VI. collatione, quam ab Eutychemo aliquo nebulone actis intrusam putant, vt Cyrillum conuiciis proſcinderet. Alienum enim esse aiunt a modestia Theodoretî, vt manibus Cyrilli defuncti se infestum exhibeat, cuius viuentis concordiam & communionem vna cum Ioanne Antiocheno fuerat amplexus. Addunt ex chronico Nicephori patriarchæ, Ioannem Antiochenum e viuis exemptum ante Cyrilli obitum, ita vt de huius excessu Theodoretus Ioanni gratulari non potuerit. Hoc argumento non ineleganter dici potest, mendum irrepſisse in epistolæ inscriptionem, & pro *Ioanne*, restituendum esse *Domnum* successorē Ioannis: præcipue cum statim post epistolam recitetur fragmentum allocutionis, quam Theodoretus Antiochiæ dixit præſente Domino, in qua morti Cyrilli insultans profitetur mortuam esse inuidiam, obrutam contentionem, & orientem atque Ægyptum sub vno iugo esse. Iniquiorem enim erga Cyrilli etiam fato functi memoriam semper se præbuit Theodoretus, quemadmodum discere licet ex eius epistola ad Domnum Antiochenum, quæ est CXII. inter editas, vbi ait, *ceterarum diæceson episcopos igno-*

Theodore-  
sus ep. 112.

rare



ANNO  
CHRISTI  
555

*rare instum in duodecim capitibus (Cyrilli) venenum. Quamuis illud quoque dici posse videatur, epistolam illam ad Ioannē Antiochenum non accipiendam esse de Cyrillo; in quo lapsus esse oportet eum, qui iussu quintæ Synodi loca excerptit ex Theodoro, quæ in collatione sexta recitata sunt. De quodam potius episcopo Antiochenæ sedi subdito Theodoretus loqui videtur, utpote de cuius tumulo statuendi ius & auctoritatem Ioanni Antiocheno tribuat. Procurandum est, inquit, & oportet tuam sanctitatem hanc suscipere festinantiam, & iubere collegio mortuos asportantium (id est copiatas, seu vespillonibus) lapidem aliquem maximum & grauisimum sepulcro imponere, ne iterum huc perueniret.*

XXIII. Truncata vero & mutilata esse acta Latina ex eo probant eruditi, quod in eis nulla instituaturn cognitio de causa Origenis, quam tamen in quinta Synodo peractam fuisse constat. Ex antiquitate vero Latinæ interpretationis rationem ducere oportet, cur in actis nostris omissa sit illa damnatio, quæ hoc ordine decreta est. Iustinianus interim, dum Vigilus deliberat, an cedere, vel contendere malit ob tria capitula, edicto suo Synodum interpellauit, vt Origenis sectarios anathemate confoderet. Aditus fuerat princeps libello sibi oblato, ab Eulogio, Conone, Cyriaco & Pancratio monachis, qui conquerebantur aliquos esse monachos Hierosolymis, qui impios Origenis errores profiterentur. Eius libelli exemplum literis suis ad Synodum datis adiunxit; suum quoque ipsius edictum, quo nugas illas olim refutauerat, & a Vigilio anathema aduersus Origenem & blasphema capitula ex operibus eius excerpta impetrarat. Rogauit itaque Synodum, vt non solum capitula illa iterum sua auctoritate configeret, sed eos etiam qui nunc, vel in posterum eadem sentirent. Damnatione Origenis eiusque sectatorum Didymi & Euagrii peracta, relatio seu *ὑπόμνημα* negotii mittitur ad imperatorem, ex qua verba aliquot excerptit Euagrius. Hoc ordine, quæ ad Origenem eiusque fautores pertinent, gesta fuisse patet eiusdem Euagrii testimonio, qui diserte annotauit, post trium capitulorum damnationem, causam Origenistarum discussam fuisse. Sed obiter castigandus est eius interpres, qui recedens a sententia auctoris, libellum oblatum scribit Concilio a monachis: cum econtra Iustinianus libelli (sibi nempe oblato) exemplum transmiserit ad Synodum, iuxta morem in simili specie obseruatum a Marciano in Synodo Calchedonenſi, & ab ipso Iustiniano in Synodo sub Mena. Ceterum cognitionem de Origene successisse trium capitulorum cognitioni, ipsa series actorum quintæ Synodi aperte ostendit. Conuocata enim fuit propter negotium trium capitulorum, cuius discussio est statim instituta & peracta octo collationibus, vno spiritu, nullo alio negotio interiecto; ita vt ne hiatus quidem aliquis inueniri possit, in quem cognitio de Origene conici possit. Attramen illustrissimus annalium conditor censuit prius de causa Origenis disceptatum fuisse, quam de tribus capitulis; eo quod Cedrenus in narratione sua eum ordinem tenuerit, vt priore loco Origenis damnatio-

Edictum  
Iust ad  
Synodum  
de Origene.  
Euag. lib. 4.  
cap. 17.



nem recenseret. Huic coniecturæ fouendæ addi posset illustre testimonium Sophronii patriarchæ Hierosolymorum, qui floruit ante sextam Synodum. Ille namque in epistola synodica ad Sergium patriarcham Constantinopolitanum, relata in VI. Synodo actione XI. profitetur se amplecti cum ceteris quatuor Synodis quintam Synodum œcumenicam, *quæ confirmat Synodum Calchedonensem, ἀναρπεί & ἐκρίθη μετὰ ὁμοῦντος Νεωνίου* (V) ἀφρονα. tollit vero & funditus abolet principaliter quidem insanum Origenem & eius deliramenta, & una cum eo Didymi & Euagrii impia dogmata. *ἢ αὖ Μοψουεστίας ἐκπλήξ Θεόδωρον* post illos vero condemnat Theodorum Mopsuestenum, & duo alia capitula. Sed necessario dicendum est Sophronium primo loco posuisse Origenis damnationem, non quia is fuerit ordo cognitionis synodicae, vt demonstratum est, sed quia grauior maiorisque momenti visus illi fuerit hic articulus præ aliis tribus qui discussi sunt in Synodo. Qua ratione Constantinus quoque Pogonatus imperator in edicto lato pro confirmatione sextæ Synodi, & Cyrillus Hierosolymorum episcopus in excerpto manuscripto de sex Synodis, Cedrenus & ceteri Græci scriptores eodem ordine recensent Origenis damnationem, & sectatorum eius Didymi & Euagrii, quos Sophronius *Νεωνίου μωσιεαρχας* vocat. Ea quoque ratione septima Synodus, omisis tribus capitulis, damnatum a V. Synodo Origenem, Didymum & Euagrium memorat. XXIV. Enimvero in actis Latinis quintæ Synodi, etsi obiter anathema iaciatur in Origenem in vndecimo capitulo anathematismorum, plena cognitio, quæ illa de re instituta est, non recensetur. Et enim desunt literæ Iustiniani ad Synodum cum adiuncto libello monachorum, & eiusdem principis edicto ad Vigilium, pro damnando Origene eiusque sectariis: quin etiam disceptatio Synodi ea de re habita, & relatio ad principem missa. Illustrissimus annalium scriptor existimat acta Græca ab hæreticis Origenistis vitata primum & mutilata fuisse, vnde postea vitio illo infecta prodierit Latina interpretatio. Sed acta illa adeo absunt a deprauatione, vt ex eorum lectione Græci scriptores hauserint, quod ab iis solis Latini didicerunt, de Origenis, Didymi & Euagrii damnatione. Neque enim acta Latina, quæ initio delata fuerunt in occidentem, aliud omnino continebant, quam trium capitulorum damnationem, de quibus solis agunt vterque Pelagius I. & II. & Gregorius magnus, cum referunt decreta quintæ Synodi. Alioqui de Origene eiusque deliramentis non tacuissent, cum ex eo quinta Synodus a schismaticis adeo pertinaciter explosa, vehementer commendari potuisset. Sane beatus Gregorius in epistola ad Ioannem CP. quando profitetur se quinque Synodorum fidem amplecti, recensens hæreses a quatuor primis damnatas, & tria capitula a quinta Synodo reprobata, non omisisset damnationem Origenis, si ex actis Latinis illi ea de re constuisset. Quare Vigilium quoque de solis tribus capitulis, de quibus erat controuersia, decreto suo pronuntiauit. Ex ista damnati Origenis

Edictum  
Constantini  
Pogonati  
act. xviii.  
Synod. VI.  
Cyrill.  
Hier. M.S.  
Cedren.  
Septima Synodus act.  
VII.

Pelagius ep.  
ad episc.  
Istriae. Gregorius lib. 1.  
ep. 10. lib. 3.  
ep. 2. 3. 4.  
& alibi.



in quinto Concilio ignoratione profectum est, vt non solum a Cassiodoro, sed etiam a Concilio Bracarenfi secundo, quod habitum est anno 572. quatuor primis œcumenicis Conciliis recensitis, omittatur hæc quinta Synodus. Etenim cum illis auctoribus, de repudiatis ab ea tribus capitulis tantum constaret, (quæ priuata negotia & personas quasdam fato functas respiciebant, non vero fidem catholicam) non erat cur Synodum quintam ceteris quatuor annecterent, quas ad profligationem hæreseon in iis damnatarum proferebant, non autem, historico more, Conciliorum in ecclesia habitorum enumerationem instituebant. Hinc factum quoque, vt Gregorius M. quintæ Synodi alioqui vindex acerrimus, profiteatur se quatuor Synodos æquali cum euangelis ueneratione prosequi; nempe ob veritatem dogmatum contra hæreses ab illis assertam: quæ pars dignitatis quintæ Synodo, saltem in actis Latinis, deficiebat, ob præteritionem Origenianæ damnationis. Eandem ob causam ab eodem Gregorio, atque a ceteris summis pontificibus & Conciliis omittitur Synodus Sardicensis, quia nullam nouam hæresim confodit, sed personarum præcipue iudiciis se immiscuit.

XXV. Nunc operæ precium est in eam rationem inquirere, qua impulsus Vigilii decretum suum ad tria capitula coercuit. Licet enim actis quæ illi tradita fuerant, cognitio habita de Origene non contineretur; attamen tempore huius nostri rescripti ad Eutychium dati, quod sex mensibus est posterius Concilio, iudicium de Origene in Synodo peractum, illi notum erat. Quare videtur ad ipsius officium pertinuisse, ne sententiæ illius confirmationem prætermitteret. Attamen ne isthæc præteritio vitio verti possit, obseruandum est ante sedecim annos, id est, anno 538. ad suggestionem Pelagii diaconi & apocrisarii Romanæ ecclesiæ, Iustinianum oratione sua Origenem eiusque blasphemias nugas, (iam olim ab Anastasio episcopo Romano, & a Theophilo Alexandrino proscriptas,) expunxisse, Menamque CP. patriarcham hortatum fuisse, vt illas vna cum episcopis in vrbe regia degentibus subiiceret anathemati. Idem iudicium misso edicto suo, a Vigilio papa, & ab aliis patriarchis expetiuit, & impetrauit. Quod testatur Liberatus his verbis: *Iubente eo* (Iustiniano, qui mollius loquitur; non enim vsurpat *iubendi* verbum, sed *hortandi*, *καταγγελλειν*; inquit) *dicta est in Origenem, & illa capitula, anathematis damnatio, quam subscribentes vna cum Mena archiepiscopo apud Constantinopolim reperti. Deinde directa est Vigilio Romano episcopo, Zoilo Alexandrino, Euphremio Antiocheno, & Petro Hierosolymitano. Quibus eam accipientibus & subscribentibus, Origenes damnatus est mortuus, qui viuens olim fuerat ante damnatus.* Non solus vero Liberatus Vigilii auctoritatem in damnando tunc Origene intercessisse probat, sed etiam Cassiodorus: *Hunc, inquit, (Origenem) licet tot patrum impugnet auctoritas, presenti tamen tempore & a Vigilio beatissimo papa denuo constat esse damnatum.* Damnationem autem Vigilii decreuerat, annotatione sua ad edictum principis

Concil. Tom. 12.

Iii ij

Cassiod. lib. 1. cap. 11. Inft. diuin. lect. Concilium Bracar. 11.

Liber. Breuiarii cap. 23.

Cassiod. Inft. diuin. lect. L. 1. cap. 1.



Euagrius  
lib. 4. cap.  
37.

Edictum Iu-  
stin. ad Syn.  
de Origene.

subscripta, vt obseruauit Liberatus. Quare eleganter obseruauit Euagrius, Iustinianū iis literis quas ad quintam Synodum misit pro damnando Origene, adiunxisse *qua ad Vigilium ea de re missa erant*, id est, edictum quod anno 538. princeps ad Vigilium miserat, cuique, vt diximus, subscriptum erat iactum a Vigilio in Origenem anathema. Verba Euagrii hæc sunt: *συζήτας & πρὸς Βιγίλιον ἀπὸ τοῦ ἀπεσταλμένου*. In quorū interpretatione lapsus est Latinus interpres, qui ea de literis a Vigilio scriptis interpretatus est. Et si enim reuera edictum Iustiniani obsignatū fuisset Vigiliū subscriptione, verba tamen Euagrii nihil aliud significat, quam edictum ad Vigilium missum. Quod edictū intelligit quoque Iustinianus, quando petit a quinta Synodo, vt anathemate damnet blasphemias descriptas ἐν ἱστορικῆς ἐπιγραφῆς, in subiecta expositione. Nec inutiliter sane, cum Menæ C P. eiusque Synodi, & ceterorum patriarcharum subscriptiones, in totidem edicti sui exemplis repositas in scriniis haberet princeps, vnum illud edicti exemplum selegit, quod ad Vigilium missum, & ab eo subscriptum fuerat. Probe enim nouerat rerum in Synodis gerendarum primam definitionem, vel earum deinde consensionem, & ἡ χάρις a pontifice Romano expectari debere. Vigilio itaque auctore, licet absente, Origenis errores confecti sunt in quinta Synodo. Itaque summus ille pontifex decreto suo vltimo, quod necessario de tribus capitulis ferre debebat, Origenem complexus non est, quod partes suas olim in eo damnando impleisset, eiusque auspiciis quinta Synodus de Origene decreuisset. Non erat itaque quod de nouo operam suam in id negotium conferret, de quo pronuntiare non erat necesse; quemadmodum ipse significat necessarium fuisse, vt controuersiam de tribus capitulis sua auctoritate definiret, licet episcoporum Constantinopoli degentium suffragiis dirempta fuisset.

ANNO  
CHRISTI  
538.

ANNO  
CHRISTI  
538.

CONCILIVM

HIEROSOLYMITANVM,  
IN QVO QUINTA OECVMENICA  
Synodus approbata fuit, anno Domini DLIII. sub pon-  
tificatu Vigili.

NOTA.

Causa Con-  
cili.

Concilium. ] Acta huius Concilii extant, atque summatim describuntur actione prima Concilii Nicæni II. his verbis: *Præterea imperator noster Dei amantissimus acta Synodi (quintæ) Hierosolymam misit: in qua ciuitate, coactō episcoporum conuentu, quotquot erant Palaestinarum episcopi, manibus & pedibus & ore sententiam & statutum Synodi confirmarunt; nisi quod Alexander episcopus Abyles contrarium*